

ad monumentum festinarit, in ipsis dubio procū tenebris, vel aliquantulum pōst, antequām Domini Resutrectio nota esset, & antequām cuiquam Dominus apparuisset. Alter vero abitus à Lucā tunc contigisse refertur, quando de appari-tionibus Angelorum, deque Resurrectione Domini coram toto cātu mulieres prædicarant, & testati erant; Vbi solum Petrum monumentum accessisse, visisque lntreminibus de facto secum mirantem abiisse legimus. Et quid obstat, qvō minus Petrus bis ad monumentum cucurrerit; cum & mulie-res accesserint sāpius? Probabile itaque magis est, occasione secundi abitūs Petro Christum se manifestasse.

S. 12. *Apparuit (4) Christus duobus in Emmaus abeuntibus*
Luc. 24, 13. 15. & seqq. Hanc manifestationem ab eā, quæ discipulis in agrum abeuntibus contigisse dicitur à *Marcō cap. 16, 12.* minime distinctam, sed unam eandemq; historiam à Marco & Lucā descriptam esse, cum *Gerhardo in Harmon.* suā cap. CCXI. rectè statuimus; id enim omnium circumstan-tiarum concordantia textum introspicientes docet. (5) *Appa-ruit Discipulis unā omnibw, Thomā excepto, in vesperā diei illius propter metum Iudeorum congregatis Joh. 20, 19. Luc. 24, 36.* Eo nempē modo, ut ingressus subito foribus clausis, nec visus ad-venire, repente constiterit in medio illorum. Planissimum hinc est, omnino per fores clausas corpore suo vero, sed glo-rificato, Christum per divinam sc. virtutem suam penetrasse. Quam in rem *Richardus Mountacutius Norvicensis Episc.* verita-tis vi convictus, parte poster. T. prioris Orig. Eccles. p. 455. ita scribit: *Improbè detorquent scripturas illi, qui Christum pulsasse volunt, quemadmodum Petrus Act. 12. & apertis foribus introiisse. Improbè alii, qui Christum aperuisse illos per potentiam divinitatis sue volunt, quemadmodum cit. l. fores civitatis ferreae Petro & An-gelo adaperiebantur. Improbè, qui sponte patuisse volunt: qui per fenestram aut aliter introiisse, non minus, quam Maldonatus ridicule, qui Petrum & Angelum clausas carceris fores penetrasse opinatur, eoq; non legitur sponte patuisse. Ingressus est Christus clausis foribus: stetit in medio: subito adventu notus, non tantum eo tempore ingressus, quo claudebantur fores: hoc est, de nocte, sed*

*Quomodo
foribus
clausis
Christus
apparue-
rit?*